



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 8. Concilium Juliobonense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI. in sana antiquitate & Sæculis clarissimis,
A. C. 1080. lingua illa, quæ in quibusvis provinciis
 vulgaris erat, prælecta fuerit Sacra Scri-
 ptura, & etiam Divina Officia celebra-
 ta. Unde Lector notare poterit, hujus-
 modi mandata Gregorii VII. ætate non
 esse antiquiora. Quibus non obstanti-
 bus, Sclavi Romæ patria lingua in sua
 Ecclesia S. Hieronymo Sacra Officium
 publice celebrant.

§. VIII.

Concilium Juliobonense.

to. 10. p. 391. **G**uilielmus Rex Angliæ Concilium Ju-
 lioboni in Normannia anno millesi-
 mo octogesimo celebrari curavit, cui
 Guilielmus Archiepiscopus Rotomagen-
 sis cum Episcopis & Abbatibus præfuit.
 Rex quoque cum Comitibus, aliisque il-
 lius provinciæ Optimatibus intererat.
 Conditi sunt Canones tredecim. In pri-
 mo præcipitur, ut Induciæ Sacræ aucto-
 ritate Episcoporum & Optimatum sta-
 bilitantur. Laici de redditibus Ecclesiæ
 nihil percipiant. A Presbyteris non ni-
 si obsequia, Sancto ministerio congrua,
 exigant. Episcopi aut eorum Ministri
 non compellant Presbyteros ad dandum
 quidquam ultra id, quod in more posi-
 tum est, nec eis multam ideo imponant,
 quod uxores habeant. Nempe quia Epi-
 scopi pecuniam a Presbyteris accipien-
 tes

tes eorum concubinatum approbare vi-
debantur. Si Monachis alicujus Eccle-
siae Ministerium concedatur, salva ta-
men sit Presbytero sua sustentatio, Offi-
cio Ecclesiae illius nihil detrahatur, &
Monachis Presbyterum idoneum Episco-
po praesentandi jus sit. Hic de Parochiis
sermo est. Ceterum in eodem Conci-
lio satis prolixè explicatur Jurisdictio,
illo jam tempore admodum ampla, Epi-
scoporum in Personas & Loca Deo Sacra;
saepè vero, existente casu, pecunia mul-
ctae nomine exacta proventuum Episco-
palium pars erat. Antiqua possessio Epi-
scoporum confirmatur.

Sub idem tempus Hugo, Episcopus
Dienis, Papae in Francia Legatus, Sen-
tentiam suspensionis in omnes Norman-
niae Episcopos, Archiepiscopo Rotoma-
geni excepto, pronunciaverat, quod ad
Concilium a se indictum non venissent.
Quo comperto, Pontifex Hugoni scri-
psit in hunc modum: *Quamvis in qui-
busdam rebus Rex Angliae non ita, ut vel-
lemus, Religioni satisfaciat, majore ta-
men existimatione & favore quam ceteri
Reges ideo dignus est, quod ei Episcopatus
venales non sint, nec Ecclesias destruat,
quod subjectis populis pacem praestet, &
quod Justum est decernat, quod cum ini-
micis Ecclesiae invisa foedera peragere re-
cusaverit, Presbyteros ad dimittendas*

Saeculum XI.

A.C. 1080.

c. 12.

c. 7. 10. 11.
13.

Ff 2

concu-

Sæculum XI. A.C. 1080. concubinas suas, & denique Laicos ad re-
stituendas Decimas, quas usurpabant, co-
egerit. Unde æquum est, ut ejus Subdi-
ti mitius babeantur, & eorum errores ex
parte dissimulemus.

Lanfranc.
ep. 59.

Ex quadam Lanfranci Archiepiscopi epistola dispicimus, quantum Pontificis interfuerit, Regem Angliæ amicum habere. Nam ille, cui Lanfrancus rescripsit, eum ad amplectendum Guiberti Antipapæ partes permovere conabatur. Cui Lanfrancus respondit in hæc verba: *Minime mihi probatur, quod Gregorium Papam vituperes, & Hildebrandum appelles, nec quod Clementem dilaudes. Nihilominus credo, Imperatorem non sine causa urgente tantam rem fuisse molitum, nec sine magno Dei auxilio insignem victoriam reportasse. Non ego tibi suaferim, ut sine Regis licentia in Angliam ad nos trajicias; necdum enim Insula nostra priorem Papam rejecit, nec promisit, se isti obtemperaturam esse. Facilius postea consilium optimum capiendum erit, cum utriusque partis argumenta percepta fuerint.*

IX, ep. 4.

Papa Ducis Calabriae quoque Roberti Guischari amicitiam solícite colebat, opera usus Desiderii Abbatis Cassinensis, qui illi Regioni proximus, quid ille Princeps ageret, ignorare non poterat. Hæc videmus ex epistola sub initium anni millesimi octogesimi primi data, in qua

qua Papa Desiderium rogat, ut explora-
ret, an spes esset, Ducem post Festa Pa-
schalia auxilium sibi missurum esse. Di-
cit, Normannos in Quadragesima in
aciem procedere non solere. Haud diu
postea eidem Abbati per literas signifi-
cavit, Regem Henricum prope Raven-
nam versari, Romam ad Festum Pente-
costes, si posset, venturum. Præterea
famam ad se detulisse, Regem cum Du-
ce Roberto fœdera iniisse, quibus ipsius
filio Ducis filia fuisset desponsata.

§. IX.

Concilium Romanum VIII.

Porro Rex Henricus, cum Saxones una-
cum Rege Rudolpho prostratos non
amplius timeret, mense Martio anno mil-
lesimo octogesimo primo in Italiam pro-
fectus Veronæ Festum Resurrectionis
Domini, in quartam Aprilis eo anno in-
cidens, celebravit. Neminem, iter fa-
cientem, Romam pergere sinebat, nisi
prius jurasset, se Gregorii partibus non
accessurum. Inter hæc Papa, Conci-
lio VIII. Romæ celebrato, iterum Hen-
ricum omnesque ejus fautores excom-
municavit, & sententiam Depositionis
a Legatis suis in Archiepiscopos Arela-
tensem & Narbonensem latam confirma-
vit. Quippe Hugo Diensis anno supe-
riore Concilium Avenione celebraverat,

Sæculum XI.
A.C. 1081.

IX. ep. 11.

Bruno Bell.
Saxo. p. 152.

Bertold. an.
1081.

to. 10. p. 398.

p. 391.

Ff 3 in